1247. 6. Kal. Septembris. Ex Odor. Raynal: Hist: Eccles.

449.

158

Innocentius IV. papa Danieli Regi Russiæ illustri. Permittit Russis ut in fermentato Christi corpus conficiant.

Cum te de cætero specialem inter devotos ecclesiæ reputemus, petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, libenter ad gratiam exauditionis admittimus, et votis tuis favorem benevolum impartimur. Ea propter charissime in Christo fili, tuis supplicationibus inclinati, episcopis et aliis presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, et alios eorum ritus, qui fidei catholicæ, quam ecclesia Romana tenet, non obviant, observare, auctoritate præsentium indulgemus. Datum Lugduni 6. Kal. Septembris, anno quinto.